



AB

128442

四九

COLLATIONUM PHILOLOGICARUM,

Ex

EPISTOLA PAU-
LI AD ROMANOS,

SEPTIMA:

Quam

DIVINI NUMINIS AUSPICIO,

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi,

DN. JOHANNIS HIPSTEDI,

Histor. Orat. & Gr. Ling. P.P. & Biblioth. Præce-
ptoris sui perpetim venerandi,

Ad placidam συζήτησιν publicè proponit

EMANUEL STUBENRAUCH,

Plözca-Anhaltinus.

Ad diem 14 Decemb. loco horisq̄ solitis.



BREMÆ, Typis HERMANNI BRAUERI, ibidem
illustris Gymnasii Typogr. 1664.

236
9



SERENISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS
ATQUE CELSISSIMIS,

Principibus ac Dominis

D^N. FERDINANDUS

ET

D^N. EMANUELI,

Fratribus germanis, Principibus

Anhaltinis, Comitibus Ascaniæ &

Barby, Servestæ ac Bernburgi Dynastis,

Principibus ac Dominis suis Cle-
mentissimis.

*Exercitium hocce Philologico-Theologicum
submississimâ humilitate & humillimâ
submissione offerre*

SERENISS, CELSIT. V. V.

*Subjectissimus ac devotissimus
Cliens*

Emanuel Stubenrauch.

L 124



COLLATIONUM PHILOLOGICARUM
IN EPISTOLAM PAULI
AD ROMANOS,

SEPTIMA



Quod *Justitia fidei sola locum habere queat in Dei ju-*
dicio; quodq; eadem illa testimonio Legis & Prophe-
tarum comprobata sit, evicit haectenus Apostolus:
jam porrò Cap. IV. adducit tertium argumentum
principale ab exemplo Abrahami, tanquam Patris
omnium fidelium, in cujus carne & cognatione judæi præ-
cipue gloriabantur; uti patet ex Matth. 3: 9. Simul etiam sic
confirmat argumentum præcedens secundum, quod scil. Lex
& Propheta justitiam fidei suo testimonio comprobent. Merito uti-
tur hoc Exemplo, ut omnem Judæis adimat suspicionem no-
vitatis; quæ, uti semper suspecta esse debet, præsertim in ne-
gocio religionis; ita & esse poterat Judæis, in Abrahamo ex-
pressè à reliquis populis separatis, in fœdus peculiare assumtis
& ad ejusdem observantiam per circumcisionem præcisè ad-
strictis, Gal. 5: 3. Ideoque hoc enthymemate utitur Aposto-
lus: Abrahamus, pater credentium omnium, justificatus est per fi-
dem absq; operibus. Ergo & reliqui, qui justificantur, sive Judæi, si-
ve Gentes, iustificantur per fidem absq; operibus. Major omissa
nititur confessâ uniformitate fœderis, vid. supra c. 3: 29. 30. uti
& constantiâ Dei ac promissionis istius: Ero Deus tuus & Deus
seminis tui, & benedicentur in te omnes tribus terræ, Genes. 17: 7.
c. 12: 3. c. 18: 15. c. 22: 18. Patrem multarum gentium constitui te:

A

Et

*Et erigam fœdus meum inter me & te & semen tuum post te, apud posteros ipsorum; ut sit fœdus perpetuum; ita, ut sim Deus ipsorum & seminis tui post te. Cap. 17:5.7. Unde Abraham hîc non consideratur tanquam homo singularis; sed tanquam primitiæ, radix & Pater omnium credentium & salvandorum, uti vocatur infra c. 11:16. c. 4: hic vers. 11. Secus enim (quod excipiunt Sociniani) non procederet argumentatio ab Exemplo singulari ad totum genus: & hinc est, quod statim addit, *Abrahamum patrem nostrum; רישא דאברהמתא, Caput Patrum*, seu Patriarcha reddidit Syrus: quomodo & alia lectio; *πατριάρχης* habet: innuens ab hac stirpe totam credentiam familiam descendere. v. 16. Hæc summa & hic nervus est hujus argumenti, cujus deductionem jam sigillatim perlustrabimus.*

I. Itaq; post generalem Propositionem v. 1. hîc est adstructio hujus argumenti in Minore: (1) ab absurditate hypotheseos contrariæ, videl. Justificationis per opera. vers. 2. (2) à testimoniis Moysis & Davidis. vers. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

II. Ulterior expositio & extensio exempli hujus ad gentes pariter ac Judæos: idq; (1) à circumstantia temporis, vers. 9. 10. (2) à natura & scopo circumcisionis, vers. 11. 12. (3) à fonte promissionis Abrahamo factæ, quæ non est Lex, sed gratia vers. 13. quod probat ab absurdo contrarii, vers. 14. & natura legis, vers. 15. (4) ab objecto personali promissionis, utpote quæ destinata toti semini credentium, vers. 16. id quod adstruit testimonio Scripturæ; vers. 17.

III. Digressio in commendationem fidei Abrahami: (1) à forma & Objecto reali, promissione divina de benedicto semine, vers. 18. (2) à proprio adiuncto, fortitudine adversus obstacula & tentationes, vers. 19. 20. 21 (3) ab effectu, impetratione justitiæ, vers. 22. Opportuna hæc est digressio, ut inde elucescat natura fidei iustificantis; ne ociosam credulitatem aut temerariam fiduciam illam esse existiment Judæi; sed talem fiduciam, quæ unicè nixa promissione, bonitate & potentia Dei, vincit omnia obsta-

obstacula & unicè se committit Deo propitiato in Mediatore; qualiter fidem Abrahamæ nobis describit Apostolus.

IV. *Applicatio hujus doctrinae ad omnes fideles, quibus justitia eodem modo imputabitur, vers. 23. 24. additâ causâ meritoria justificationis, quæ est mors & resurrectio Christi, vers. 24. Hæc methodus est tractationis Apostolicæ, quam pressius pro renata in elucidatione textus explicabimus.*

*Primo itaque proponit hoc argumentum per communicationis figuram, tum ut illos excitet, tum etiam ut fiduciam suam in hac causâ indicet. confer. cap. 8:1. Quid igitur dicemus, Abrahamum Patrem nostrum invenisse (nactum esse Beza & Piscator; consecutum Grotius; vide similem locutionem Gen. 6:8. c. 18:3. c. 19:19.) Luc. 1:30. secundum carnem? Vulgatus, Lyræ, Erasmus ac Hispanus veteres plerosque, Origenem, Chrysostomum & Theophilactum, secuti verba transponunt; invenisse Abrahamum Patrem nostrum secundum carnem? Et verò ambigua constructio est, & sanus, utromodo accipiamus, sensus. Dicitur enim Abraham pater Judæorum secundum carnem, quia naturali propagatione ex ipso tanquam stipite Judæi descende-
bant. Et ita quidem opportunè vocem patris determinat ad Judæos, quoniam & alia ratione juxta promissionem & fidem pater erat omnium credentium, infra hinc vers. 11. quò & spectat ipsum nomen divinitus ipsi impositum; quo pro אבירא Pater excelsus, אבירא pater multitudinis dictus fuit Gen. 17. Aliàs & rectè referri potest ad prædicatum, ut servetur vocum ordo, videlicet ἐγενήθη κατὰ σάρκα, invenisse secundum carnem, vel in carne, uti Syrus vertit. Et sic Ambrosius, Beza, Piscator, Pareus explicant ex versu 2. quod idem sit, atque ἐξ ἰσραὴλ, ex operibus; Tossanus, si carnem spectes, i.e. externa tantum & cultum legalem, totamq; ejus conditionem extrâ Christum & fidem consideratam. Diodati: secondo la carne, considerato in se stesso, nel suo stato naturale, fuor della gratia di perdono & di*

justificatione; hoc est, *consideratus in semetipso, in suo statu naturali, extra gratiam remissionis peccatorum & justificationis.* Com-
moda explicatio: sed cavendum, ne præcisè accipiatur, quasi
opera ex fide facta in similem censum non veniant. Nam
versu sequenti, operibus Abrahami in genere adimit Paulus ju-
sticiam. Quod notandum contra glossam Pontificiorum. *vid.*
Fridlib. hic quest. 40. Hugo Grotius, *κατὰ οὐρανὸν*, explicat propriis
viribus, sensu Pontificio, qui idem volunt esse, quod *ante*
conversionem & sine fide: quasi scilicet operibus ex viribus liberi
arbitrii ante conversionem factis solummodo neget Apосто-
lus justificationem, non verò illis, quæ post conversionem ex
fide fiunt. Verum Apostolus in hoc justificationis negotio
opera quæcunque fidei opponit: quoniam non ullâ aliquâ
nostrâ, sed Christi justitia fide nobis applicatâ justificamur:
argumento Philip. 3. 9. Adde, quod de Abrahamo hic loqua-
tur, non ut gentili, sed credente & Deo peculiariter dilecto.
Hoc igitur dicit: quid dicemus, Abrahamum tandem per
opera illa, quæ tantopere in Scriptura prædicantur, consecu-
tum fuisse? nunquid forsan, uti vos existimatis, justiciam
coram Deo? negativam tacitè innuens; uti ex contraria ad-
sertione sequenti facilè colligitur. Dum enim per fidem &
gratiosam Dei imputationem illam indeptus dicitur Abra-
ham; pronum utique est, minimè suis operibus sive ante, sive
post conversionem factis, justiciam coram Deo ipsum ade-
ptum fuisse.

Id quod jam porrò adstruit Apostolus, vers. 2. & seqq. (1) ab
absurditate hypotheseos contrariæ, videlicet justificationis
per opera; unde nata fuisset Abrahamo materia gloriandi
coram Deo: quod secus & absurdum esse constat ex sequen-
tibus. 'Εἰ γὰρ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' ἔτι πρὸς
τὸν Θεόν.] Si enim Abraham ex operibus justificatus fuit, habet, quod
glorietur; (erat ei gloriatio, Syrus; habet gloriam, h. e. gloriandi
mate-

materiam. *Vulgatus; de quo gloriatur, Diodati:)* at non apud Deum
Plenè Diodati: at non habet, de quo gloriatur apud Deum. Ex operi-
bus, dicit in genere; non, ex operibus legis, uti Pontificii ex
nonnullis vulgatæ versionis editionibus, addunt. Et sane
contrà fidem codicum Græcorum (qui omnes τῶν ἔργων ha-
bent attestante Beza) & contrà rei gestæ historiam. Proin-
de & huic glossæ expressè contradicit Haino Episcopus Halber-
stad. in notis. Neque enim Lex illa ceremonialis Abrahami
temporibus adhuc lata erat: Ergo de operibus Abrahami
ex fide fluentibus verba hæc intelligenda. Nam ad opera legis,
vel nature, seclusâ Christi fide, hæc restringere cum Tirino, con-
trà scopum est Apostoli: qui contrà propriam justiciam in-
hærentem, sive ex, sive absque fide, disertè disputat, ad ἰλασθή-
ριον Christum peccatorem remittens. ἔχει καύχημα] habet quod
gloriatur, scil. apud Deum & homines, quod suis operibus ju-
stis justificari meruerit; proindeque suo jure niti queat co-
ram tribunali Dei. Verùm hoc denegat ipsi Apostolus, sub-
jiciens: ἀλλ' ἔπειθ' τὸν θεὸν] sed non habet, scil. ullam gloriandi
materiam apud Deum: cùm ex Operibus Legis non justificabitur
ulla caro, supra c. 3: 20. Galat. 2: 16. maledictione incumbente
omnibus illis, qui sub lege sunt Gal. 3: 10. Et verò quid habes,
quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non accepe-
ris? 1. Cor. 4: 7. Adeoque contra mentem Apostoli Origenes,
Ambrosius, Chrysostomus aliique gloriationem concedunt A-
brahamo, non quidem operum, sed fidei. Omnis enim glo-
riatio coram Deo hinc Abrahamo adimitur, tanquam divinæ
gratiæ adversa; licet gloriatio bonæ conscientiae & sincerita-
tis, causæque certæ, præsertim apud homines esse queat, argu-
mento Psal. 7: 4. 5. & passim in Psalmis

(2) *Adstruit porro hypothesin hanc de Abrahamo te-*
stimonis tum ipsius Mosis, tum etiam Davidis, v. 3. & sic simul
confirmat rationem præcedentem, quod Abraham non ha-
buerit, quo gloriatur coram Deo. Quid enim dicit Scriptura?

ita καὶ ἐξοχὴν Scripturam sacram & in specie libros Mosis vocat. Πίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην.] *Credidit verò Abraham Deo, & imputatum ipsi est ad justitiam.* Locus est Gen. 15: 6. quem ex versione LXX. interpretum totidem verbis citat, prout tunc illa nota erat & versabatur passim in manibus. Textus Hebræus ita habet *וַיִּחְשַׁב אֱבְרָהָם בְּיָהוָה וַיִּצְדֵּק* & *credidit in Jehovam, & imputavit illud ipsi iustitiam, seu ad iustitiam, וַיִּצְדֵּק* uti est Psal. 106: 31. Quod verò in forma activa dicitur in textu Hebræo, illud per passivum expressere LXX. relativo, *illud*, omisso. Si contra puncta Hebræa statuendum esset, *וַיִּחְשַׁב* legi posset *וַיִּצְדֵּק וַיִּחְשַׁב* & *imputata est ei iustitia*, de verbo ad verbum. Verùm nec opus est, nec temerè hîc quicquam tentandum. Duo hîc notanda; primò quid fecerit Abraham; secundo quid consecutus sit. *Quid fecerit*, indicatur verbis, *& credidit in Jehovam*, vel *Deo*, uti habet Textus Græcus: hoc est, fidem habuit Deo & plenam fiduciam concepit in ipsius solatio & promissione, quâ ipsum sollicitum de promissa posteritate deponere iussit timorem & securum esse de divina protectione & remuneratione amplissima, penitusque persuasum de promissâ prole; unde semen illud benedictum, in quo benedicendæ sint omnes tribus terræ, nasciturum sit, (vid. Gen. 12: 3. Gal. 3: 16.) Hanc curam, protectionem, remunerationem & securam benedictionem in Christo ipse plenâ fiducia amplexus est, Deo se committens & salutem suam, tanquam veraci ac omnipotenti creatori & sospitatori suo, per promissum illud semen. *Semper enim, etiamsi res externa petitur & expectatur, ut ait hic Philippus Melancthon, tamen oportet prælucere hanc fidem, quâ accipitur reconciliatio propter Mediatorem; juxtâ illud: Nemo potest venire ad Patrem, nisi per Filium.* Ipsius igitur fides Christum intuita est; uti Abraham dicitur *vidisse diem Christi & gavisus desuper Joh. 8. 56. quippe qui noverat, semen mulieris contriturum esse*



esse caput serpentis Gen. 3: 15. quod postmodum ex ipsius posteritate exoriturum promissum ipsi fuit. Falsa igitur & imperfecta explicatio est Cornelii à Lapide hoc loco, cum ait: *fides Abrahami non apprehendit Christum, sed promissionem de multiplicatione posteritatis.* Imò Christum apprehendit ex sua posteritate oriturum; confer Galat. 3: 16. *in semine tuo, qui est Christus.* Neque enim verisimile, de sua tantum posteritate carnali sollicitum adeò fuisse Abrahamum; cum de patribus universim dicatur, quod *noverint se peregrinos & hospites in hoc mundo; quod aliam patriam & civitatem, qua fundamentum habeat, quaesiverint.* Heb. 11: 10. 13. 14. 16. Imò & Deus ipse statim de servitute & pressura posterorum ejus ipsi prædixit. Gen. 14: 13. Non igitur solummodo de carnali sobole & posteritate fuit sollicitus, sed de mundi hæreditate spirituali per fidem, Rom. 4: 13. Hoc igitur est, quod fecit Abraham; *credidit Deo, vel in Deum,* spretò mundo, superato semetipso omnibusque difficultatibus, omnia sua posuit in Deo, inconcussâ fide amplexus promissionem fundatam in benedicto semine ex ipsius posteritate nascituro, ut postmodum cap. 17. uberius hæc Deus ipsi exposuit, & solemniter fedus suum, additâ circumcissione, cum ipso erexit. Interim pro œconomia istorum temporum, sub velo rerum temporalium cœlestia illis proponebantur. *Credidit ergo Abraham Deo.* Hinc jam secundo consecutus est hunc fructum: quod hoc ipsi à Deo imputatum est ad justitiam. ελογήσθη] *imputatum est illud, scil. τὸ credere, seu quod credidit, seu fides ipsi imputata est.* vel, uti Textus Hebræus habet, אָשַׁם & *imputavit Deus illud, vel illam fidem: uti fœmininis pronomibus Hebræi neutro genere carentes, pro neutris utuntur.* De varia acceptione vocis אָשַׁם λογίζην, *reputare, seu imputare vid: Pereum hîc, & halucinationes veterum quorundam apud Beza.* Arithmetici illud verbum λογίζεσθαι, juxta Budæum, usu suum fecerunt, notatque

que rationem inire, itemque in rationes referre, acceptum ferre, & sic imputare, ut illud, quod imputatur, fiat acceptantis, idque vel ex merito operantis *vers. 4.* vel ex bonitate & gratia, aut omninò affectu imputantis *vers. 5.* vid. *Friedlib. quest. 50. ad b. 1.* At quid imputatur credenti? illud ipsum credere seu, ut Apostolus ait, *ἡ πίστις αὐτῶν, fides ipsius.* Non quod ipsa fides, tanquam bonum opus, aut *res perfectissima & praestantissima* tantum valeat apud Deum, ut justitiam mereatur, uti Pontificii arguantur: Quatenus enim opus unà cum cæteris operibus à causa justificationis excluditur hinc *vers. 2. 6. c. 30: Gal. 2: 6.* & quantaquanta etiam sit, illa destituitur perfectione, quam lex & exactissima Dei justitia requirit; operibusque quoad actum justificationis opponitur, *vid. vers. 4. 5. hinc Gal. 3: 10. 11. 12.* Sed *fides* dicitur *imputari ad justitiam* metonymicè & relativè, quia Christi meritum & justitiam, quæ sola valent in Dei judicio, amplectitur & sibi applicat. Et licet illa ipsa non nuda, sed vestita operibus *spei & charitatis & obedientiae fuerit*, ut loquitur *Tirinus*: illæ quidem conjunctæ sunt cum vera fide: attamen non veniunt in computum justificationis. Zelus *Pinchæ*, quo fornicantes trucidavit, dicitur quidem etiam *imputatus ad justitiam ipsi Psal. 106. 31.* vel quia fluxit ex fide viva; ut effecto tribuatur, quod causæ est; uti sanè heroica patrum facta ex fide derivat *Epistola ad Hebr. 11. 33. 34.* vel justitia facti à Deo probati indigitatur; quia aliàs ipse in sacerdotio constitutus officii limites transgressus videri posset; sed Deus zelum istum contra legis transgressores pro justè facto habuit & inter opera justitiæ transcripsit & perpetui sacerdotii præmio decoravit, *Num. 25: 8. confer & Deut 14: 13.* ubi restitutio pignoris justitia dicitur coram Deo, non quod persona unico hoc facto justificetur coram Deo; sed quod factum hoc justum censebitur & Deo placens. At de Abrahamo dicitur 1. quod justificatus, seu justus pronun-

ciatus

ciatus est à Deo. 2. quod justificatus non per opera. 3. quod credidit in Deum. 4. quod hæc fides ipsi imputata est ad justitiam. 5. addit Apostolus hanc imputationem opus esse solius gratiæ divinæ, non meriti, hinc V. 4. 5. c. 3:24.

Porro illustrat hoc testimonium Mosis *distinctione imputationis*, in illam, quæ fit ex debito, & illam, quæ fit ex gratia; illam Legi, hanc Evangelio asserens. *vers. 4. 5. Τῷ δὲ ἐργαζομένῳ* operanti verò, hoc est, illi, qui operibus legem implet, si scilicet aliquis sit. Est hypothetica locutio, supponens illud, quod revera non est in viribus hominis lapsi: qualis locutio hypothetica fuit & supra *cap. 2: 7. 10.* Adeoque non sequitur hinc, quod colligunt Pontificii: *venatis aliquam mercedem imputandam esse secundum meritum.* Pergit Apostolus: *ὁ μισθὸς ἔλογίζεσθαι κατὰ χάριν ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα* merces non imputatur ex gratia, sed ex debito, hoc est, vi contractus ac justitiæ debetur merces, non verò ex gratia ipsi imputatur. Verbum *λογίζεσθαι* utrique membro additur, sed diversa causa est imputandi, gratia scilicet & debitum: adeoque non opus est, subaudire in membro posteriori cum *Beza & Picatore*, verbum *datur vel solvitur.* Nam imputatur illud, quod in rationes alicujus adscribitur; *il che est messo in conto*, uti rectè vertit *Italus*, quod relatum est in rationes. Prout verò causa est imputandi, ita vel merces illud, vel donum est. *Qui operatur*, & facit illud, quod vi pacti ipsi injunctum est, ille ex debito exigit, ut in rationes ipsius hoc referatur; non verò ex gratia hoc petere necesse habet. Et quidem in genere dicit, *qui operatur*, non, ut torquet *Tirinus*, *vi solius nature*: quæ glossa est proposito Apostoli contraria. Neque enim hoc erat in quaestione; Et verò subjectum Davidis testimonium de beatitudine descendente ex remissione peccatorum, contrarium docet. *Nota*: usque adeò debitum, opera, merces proprie dicta, & gratia sibi in hac materia adversantur

ut posico uno tollatur alterum, *confer infra c. II: 6.* quod probè notandum aduersus Pontificios gratiam & opera, tanquam concausas in justificatione combinantes.

Hinc jam opponit alterum comparisonis membrum: τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ] illi verò, qui non operatur, qui non per opera quærit justiciam, non nititur operibus suis, der nicht mit Wercken umbgehet/ Lutherus; scil. ita, ut ex illis salutem quærat, iis confidat coram Deo; πειθόμενος δὲ τῷ Θεῷ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ] *sed credit in illum, qui iustificat impium*, hoc est, fiduciam suam collocat in Deo, qui illum qui in se & sua natura impius & alienatus est à Deo, iustum pronunciat & absolvit gratis propter Christum. Hoc enim est *iustificare* Apostolo, uti supra ostensum; *non iustum facere infuso habitu justitiæ; operando & efficiendo in ipso justiciam*: ut detorquent Bellarm. & Stapleton. τὸν ἀσεβῆ] *impium*, notanter dicit, non ut notet illum, qui ita καὶ ἐξ ὀχθῆν passim ὑψῆται *impius* dicitur, præfractus ac desperatus contemptor Dei ac legis ipsius, *vid. Psal. 14: 1. Psal 50: 16.* & passim: verùm hominem notat in sua conditione naturali, & statu peccati, qui ἀσεβῆς est, aversus à Deo & cultu ipsius, quales nobis gentes ac Judæos descripsit, *cap. 1. & 2.* innuens pariter vim gratiæ divinæ in Christo, quod huncce talem nihilominus Deus absolvat & iustum censeat, sed in Christo Redemptore. Unde non sibi contrarius est Deus, maledicens illi, *qui iustificat impium Proverb. 17: 15.* Judicem enim intelligit, qui crimina dissimulat, justiciam pervertit, & fontem sine interveniente satisfactione absolvit. At Deus *iustificans impium*, prius per legem talem illum convincit, declarat & condemnat; at per Evangelium eundem Christi iusticia rectum graciosè absolvit. Nec contradicit locus *Exod. 34: 7.* ἠγαπήσατο Ἰσραὴλ *absolvendo non absolvit*, fontem scil. sine interventione satisfactionis & lytri sufficientis. Uti sanè in negocio justificationis & salutis nostræ ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἵνα ἵσταται ἡ δικαιοσύνη
stitia

Stitia precisa & summa gratia elucet. Nota hic formulas iου-
 δυναμειτας Apostolo in hoc negocio: πρὸς θεὸν ἴω θεῶν vers. 3.
 Ἰπὶ τὸν θεὸν vers. 5. εἰς θεὸν, εἰς χριστὸν Phil. 1:29. 1. Petr. 1:21. & εἰς
 τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. 1. Joh. 5:13 item πικεύειν absolutè c. 1:10. c. 3.
 22. & c. Quid verò consequitur ὁ πικεύειν? illi λογίζεται ἡ πίστις αὐτῶν
 εἰς δικαιοσύνην] *imputatur fides sua ad iustitiam, hoc est, justus*
reputatur coram Deo per iustitiam Christi fide apprehensam:
uti supra vers. 3. expositum. Vulgatus illum que secuti olim, ad-
dunt: secundum propositum gratia; quod contra Græcorum co-
dicam fidem forte ex glossa irrepsit.

Cæterum hanc assertionem probat porro testimonio Davidis
 vers. 6 78. ut eandem rationem justificationis fuisse doceat post
 Legem latam, quæ ante eandem fuerat. καθάπερ καὶ Δαβὶδ
 λέγει τὸν μακαριστὸν τῶ ἀνθρώπῳ, ὃς ὁ θεὸς λογίζεται δικαιοσύνην χω-
 ρὶς ἔργων] *sicut etiam David declarat beatum illum hominem, cui*
Deus imputat iustitiam absq. operibus, uti Beza vertit. Syrus, dicit
de beatitudine hominis: Vulgatus: dicit beatitudinem: Erasmus:
explicat beatificationem; Hispanus: ser biena venturado el hombre, bea-
tum esse hominem: Pareus; beatitudinem esse eius hominis, uti &
Italius ac Gallus explicant: Anglus, describet the blessedness of
the man hoc est, describit beatitudinem hominis. Rectè Pareus
præunte Lyra: dicit beatitudinem, subaudi esse, eius hominis; &
ita vox hæc accipitur statim infra vers. 9. uti & Gal. 4. 15. Alias
enim μακαριστῆς beatitudo, felicitas dicitur, & μακαριστὸς notat
felicitatis prædicationem, gratulationem Aristoteli alijsq. exoticis;
ἀπὸ τοῦ μακαρίζειν beatum prædicare. Ideoque recte sensum ex-
pressit Beza, beatum pronunciat hominem, quasi diceret μακαρί-
ζει. Quem autem prædicat beatum: ὃς ὁ θεὸς λογίζεται δικαιο-
σύνην χωρὶς ἔργων] cui Deus imputat (activè in forma media hic
significat, secus ac supra vers. 3.) iustitiam absq. operibus quibus-
cunque scil. sive ante, sive post conversionem ex fide factis.
Neque enim illa tantum; quæ volunt Pontificii (vid. Bellarm.

L. 1. de justif. c. 19. Staplet. in antidoto) vetum & hæc à causâ justificationis excluduntur. At hæc verba absq; operibus, non adsunt in textu Hebræo expressè, sed per validam consequentiam ex textu eliciuntur. Si enim peccata remittuntur, teguntur, non imputantur; utique sunt in homine: & per consequens, ille talis caret operibus, quibus justificari queat. Nervosè verbum λογίζεσθαι hîc reddit *Vulgatus*, per acceptio (vel acceptam) fert iustitiam; scilicet quam in homine Deus non invenit, illam propter sponsorem fert homini acceptam, iustum reputans illum, qui in se injustus & impius est. Egre giè *Lyra* in glossa: accepto fert, i. est, acceptat eum ad vitam beatam sine operibus. Quia opera humana ad hoc sunt impropor tionata. Quomodo igitur merita, aut causæ justificationis & salutis: uti sequior Schola Pontificia invexit. Ita in genere provocavit ad testimonium Davidis, quod iam refert expres sè ex *Psal.* 32: 1. μακάριοι ὧν ἀφίθησαν αἱ ἀνομίαι] beati, quorum remissa sunt iniquitates. In Hebræo est עָוֹן נִשְׁכַּח בְּיָדָיו] beatius, cuius ablata est defectio. de verbo ad verbum: ablatas defectio nem, per remissionem scil. nam & hanc significationem ha bet verbum נִשְׁכַּח, quam expresserunt LXX. & numerum singularem mutarunt in pluralem; eodem recedente sensu. Addit porro ex *Psalmo*: καὶ ὧν ἀποκαλύφθησαν αἱ ἀμαρτίαι] & quorum tecta sunt peccata: Hebr: תְּכַח עֲוֹן] tectus peccatum, hoc est, cuius tectum est peccatum, constructio etiam in Latino & Græco sermone usitata, ut passivis participiis casus acti vorum jungatur.

Pergit vers. 8. μακάριος ἄνθρωπος, ὃς ἔμνη λογίσθηται κύριος ἀμαρτίαν] beatus vir, cui non imputaverit Dominus peccatum. in Hebr: est: בְּיָדָיו לֹא נִשְׁכַּח עֲוֹן] beatius homo, cui non imputat Domi nus iniquitatem, seu pravitatem. Linguâ exoticâ notat pardon, seu ignoscenciam & condonationem dicit R. *Salomon Iarchi*; quod verum est, sed ita tamen, ut & diversis vocibus di

versa peccati genera, & diversos remissionis divinæ actus exprimat *Psaltes*. *Ανομία* in genere *discrepantiam* notat à lege, uti *Johanes 1. Epist. 3:4.* omne peccatum definit: $\Upsilon\psi\delta$ verò *defectionem* notat, quæ est in rejectione Legis & Legislatoris, uti habet celeberrimus *Coccejus*: $\alpha\mu\alpha\rho\sigma\iota\alpha$, $\eta\alpha\upsilon\tau\eta$ peccatum est, quod est in præteritione summi finis & boni: $\nu\gamma$ quod per $\alpha\mu\alpha\rho\sigma\iota\alpha\upsilon$ etiam reddidere LXX, & cum illis Apostolus, *pravitatem*, vertit idem *Coccejus*, quæ est in defectu alicujus rectitudinis, qui & bono operi nonnunquam adheret. Ergò à graviore genere peccati incipit David & ad leviora descendit; cum scil. vel penitus deserto Deo deficit homo, quod $\Upsilon\psi\delta$ est; vel aberrat à scopo & fine summo, quod est $\eta\alpha\upsilon\tau\eta$; vel denique deflectit à linea, quæ ducit ad scopum, quod $\nu\gamma$ est: Ut ostendat David non nisi per gratuitam condonationem hominem in Dei iudicio subsistere posse: aded ut non modo enormiora delicta, sed & optimæ actiones, utpote in quibus etiam est $\nu\gamma$, *per-versitas & pravitas* quædam, divinâ conniventia ac remissione indigeant. Hinc & actus divinos in condonatione exprimit: uti est $\nu\iota\omega\delta$ *ferre, auferre, condonare*; $\nu\iota\omega\delta$ *tegere*; $\nu\iota\omega\delta$ *non imputare*: quæ metaphoricæ sunt locutiones, modum exponentes, quibus Deus peccati reatum abolet in homine: videl. *defectionem* tolerantia fert & condonando aufert; *peccatum Christi* iustitia tegit, ne veniat in apricum vultus ipse, ita ut puniat illud: *pravitates* non imputat ad reatum & damnationem nostram: atque ita Deus fert & dissimulat minima, abscondit mediocria, penitus condonat etiam maxima; ne in ipse iudicio quicquam sit, quod gravet peccatorem, ad Christum verum illud *ἰλασῆριον* se recipientem. Hic sensus vocum est: *vis argumenti talis est*: David collocat beatitudinem hominis in remissione peccatorum. Ergò iustitia non est ex operibus. Majoris ommissæ Consequencia clara est: quia beatitudo præsupponit justificationem, *Argumento Rom.*

8:30. quos justificavit, hos & glorificavit: ubi glorificatio, seu beatitudo sequitur justificationem, tanquam ejusdem effectus immediatus hic in spe, illic in re & complemento. Cum pauperes, lugentes, mites, &c. beati prædicantur *Matt: 5: 3. seqq.* metonymicè effecto tribuitur, quod causæ est, fidei scil. unde opera hæc emanant: quoniam *omne quod non est ex fide, peccatum est. Rom. 14.*

Vidimus primam partem capitis quarti; sequitur pars secunda qua est ulterior expositio & extensio hujus exempli ad gentes pariter ac Judæos: vid. *suprà ad vers. 1.* Et quidem (1) à circumstantia temporis, quoniam scil. Abrahamo imputata est, in præputio, hoc est, ante circumcisionem ipsius: *vers. 9. 10.* Unde consequitur, non per circumcisionem, aut ullum opus Legis, sed per solam fidem, quâ credidit Abraham Deo, ipsum fuisse justificatum, adeoque & gentes & Judæos pariter per fidem justificari posse & debere. *ὁ μακαρισμὸς ἐν ἔτῳ ἐπὶ τὴν περιτομὴν, ἢ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν*] ista igitur beatitudinis declaratio in circumcisionem solum, an & in præputium cadit, ita Beza; Syrus: hæc igitur beatitudo de circumcissione, an de præputio? supple dicitur. *Vulgatus;* beatitudo ergo hæc in circumcissione tantum manet, (non manet, uti conjicit *Erasmus, & iuxta Theophil:*) an etiam in præputio? hoc est interprete *Haymone;* pertinet solummodo ad Judæos, qui circumcissio appellantur; an etiam ad gentiles, qui præputium dicuntur? Et sic etiam *Lijra. Erasmus:* beatificatio igitur hæc in circumcissionem tantum, an etiam in præputium devenit: *Pareus;* ista igitur beatificatio estne super circumcissionem tantum &c. hoc est ipso interprete: pertinetne tantum ad circumcissionem, an verò etiam ad gentes? *Diodati;* an solum cadit in circumcissionem &c. *Hispanus;* Est ne sola in circumcissione? ita & *Gallus, venitne solum, Anglus.* Conspirans in aliqua verborum discrepantia sensus est: videl. Utrum beatitudo hæc, de qua David loquitur, spectat ad circumcissionem

nem

nem, seu Judæos solùm, uti rectè supplet *Vulgatus, confer. vs. 12. an verò etiam* (hoc enim sibi vult particula καί) ad præputium, seu gentes. Probat verò Apostolus, non spectare illam circumcissionem; ex eo, quod Abrahamo fides imputata est ad justitiam, adeoq; beatus declaratus est, ante circumcissionem, cum adhuc esset in præputio. Unde consequitur: justitiam & beatitudinem neutiquam circumcissioni aliisque operibus Legis, ad cujus observantiam circumcisio obstringebat hominem, *Gal. 5: 3.* ascribendam esse. Verba textus clara sunt: λέγομεν γὰρ ὅτι ἐλογίσθη τῷ Ἀβραάμ ἡ πίστις εἰς δικαιοσύνην] *dicimus enim, quod imputata est Abrahamo fides ad justitiam.* q. d. hoc jam expeditum & clarum est, ex iis, quæ ex Mose allegavimus. Quæritur igitur adhuc: πῶς ἐν ἐλογίῳ ἐν ἐν περιτομῇ ὄντι, ἢ ἐν ἀκροβυστία;] *quomodo igitur imputata est, in circumcissione existenti, hoc est, postquam jam circumcisus esset; an in præputio, seu cum nondum esset circumcisus? Necessè erat hoc distinguere accuratè, ut firma esset Apostoli, collectio: ne quis circumcissioni tanquam operi ex legali obedientia profecto tribuat justitiam; aut verò solummodo favere Judæis exemplum Abrahamæ, regerat. Ergò respondet ipse dilucide: ἐκ ἐν περιτομῇ, ἀλλ' ἐν ἀκροβυστία] *non in circumcissione, sed in præputio.* Docet hoc historiæ series. Nam anno ætatis 75, jussu Domini egressus est Abraham ex Charan in terram Chanaan, *Gen. 12: 4.* & decem annos habitaverat in Chanaan, quando solennius promissionem ipsi repetiit Deus, & fides illi habita ipsi imputata dicitur ad justitiam *Gen. 15: 1. seqq. cap. 16: 4.* adeoque fuit tunc Abrahamus annorum 85. At Circumcisio demum injuncta ipsi fuit anno ætatis 99. adeoque 14. annis post acceptam justificationem per fidem. *Gen. 17: 1. sq. & vers. 10. & 24.* Unde clarum est, Abrahamum justificatum esse in præputio adhuc; proindeque justificationem minime ascribendam esse circumci-*

cumcisioni; eandemque non ad Judæos solum pertinere, sed etiam ad gentes non circumcisas. Id quod Apostolus probandum sibi sumis erat.

Cæterum ut occurrat tacita objectioni; quorsum igitur spectaverit, seu quid profuerit circumcisio Abrahamo jam justificato? Respondet Apostolus, circumcisionem divinitus ipsi injunctam fuisse, tanquam signum ac sigillum, quo ipse de imputata ipsi per fidem justitia confirmaretur, & exemplum esset justificationis obtinendæ per fidem tum gentibus, tum Judæis; videlicet, nec illis obstare præputium, nec hisce prodesse circumisionem aliave Legis opera ad justitiam coram Deo. Id quod porro deinceps probat *vers. 13. & seqq.* Habemus vim rationationis Apostolicæ; jam porro verba excutienda.

Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυσσίᾳ] *& signum accepit (ἐλαβε accepit divinitus, c. 1. s. c. 5. 11. & recepit in carne sua Joh. 7: 23.) circumcisionis, sigillum justitiæ fidei, quam habuit in præputio. Σημεῖον περιτομῆς]* hoc est circumisionem, quæ signum est; per appositionem; uti etiam *Editio Regia* habet, σημεῖον περιτομῆν. *Re. Etè Syrus* אקח אהו נירשקה לה לנדרתיה *videl. circumisionem accepit in signum federis. Hispanus: y recibio la circumision por sennal, & recepit circumisionem pro signo. Luth, Das zeichen in der beschneidung.* Sunt enim sacramenta signa gratiæ federalis, quæ certis emblematis rerum in oculos incurrentium, res spirituales & invisibiles repræsentant; uti patet inductione & contemplatione omnium sacramentorum. Unde *Augustinus Sacramentum visibile signum dicit invisibilis gratiæ.* Hinc rectè *Gaignaus Theologus Parisinus* superiori seculo & *Regis primus Eleemosinarius: Cum non dicat Paulus, circumisionem accepit, sed signum circumisionis, mihi videtur innuere ac velle dicere, quod illa carnalis Abrahæ circumisio, non vera circumisio fuerit* (videl

(videl. quæ ex opere operato placeat) *sed signum vera circum-*
cisionis. quæ non in sectione pellicula, sed vitiorum amputatione con-
sistit; quæ est vera circumcisio cordis, in spiritu non litera. Hanc
ergò circumcisionem carnalem accepit Abraham non tanquam ve-
ram, sed signum vera illius; nec tanquam iustificationem: erat
enim ante iustificatus. Quam igitur ob causam? Hic (pergit idem)
Græca scholia ajunt: Primum ut esset signum vera illius circumcisio-
nis ac fidei Abrahæ: deinde ut Abrahamidas Deiq; populum ab
aliis nationibus discerneret: demum ut Judæis signum esset pure &
castæ conversationis; (σὺμβολὸν ἡθελῶν ἐκτομῆς, vocat Philo Judæus)
non quod justitiæ efficiens esset, sed quod ejus, quæ per fidem est, iu-
stitiæ, signum & signaculum esset. Et sic Justinus in colloquio
cum Tryphone: δείκνυσι, ὅτι εἰς σημεῖον ἢ περὶ αὐτῆς δέδοται, ἀλλ'
ὅχι ὡς ἔργον δικαιοσύνης: innuit, quod in signum hæc circumcisio da-
ta sit, non verò ut opus justitiæ. Unde iterum patet, opus ope-
ratum Pontificiorum recentioris scholæ inventum esse. Si-
gna sunt Sacramenta, non vehicula gratiæ. Quod non tan-
tum verum est de Sacramentis Veteris, sed & Novi Testamen-
ti: quippe quæ ἀντίτυπα, hoc est, exempla respondentia, ejus-
dem scilicet naturæ & conditionis 1. Petr. 3: 21. adeoque ibi-
dem Baptismus dicitur, ἡ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύτου, ἀλλὰ συνειδή-
σεως χάρις ἐπερώτημα εἰς θεόν; hoc est, non sordium carnis depositio,
(quasi scilicet externus ille aquæ baptismus nos mundaret &
servaret) sed stipulatio bonæ conscientie apud Deum, σώζον ἡμᾶς
δι' ἀναστάσεως ἰησοῦ χριστοῦ, servans nos per resurrectionem Jesu Chri-
sti. Quod igitur Paulus σημεῖον, signum vocat, hoc Petrus ἐπε-
ρώτημα stipulationem dicit; quâ Dei consensum & gratiam per
Christum expetimus; adeoque signum est fidei ac fiducia
nostræ apud Deum: quemadmodum in contractibus civili-
bus stipulatio ex parte petentis, signum est & declaratio de-
siderii, consensus & acceptationis; cui si annuat pars altera,
jam celebratus & consummatus contractus est. Eadem ratio-

ne & in Baptismo mutua stipulatio est inter Deum & hominem, quâ homo baptizandus veluti petit se recipi per Christum, Deus verò illum recipit & exigit fidem & obedientiam filialem. Sed revertamur ad textum nostrum, ubi Apostolus porrò usum circumcisionis explicat, dicens illam σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, τῆς ἐν τῇ ἀνομοσία] *sigillum iustitiæ fidei*, quam habuit, quæ fuerat, seu ut Beza, *recepta in præputio*. Σημῆον & σφραγὶς aliquando idem significant, uti *He-sychius* unum per alterum explicat; vid. & *Heins.* ad vers. 14. *Epist. 2. ad Thessal.* At propriè Σφραγὶς, Hebr. חֶתֶם *sigillum* est, seu signaculum, quo vel notanda insigniuntur, *Apocal. 7: 2. 3. c. 9: 4.* vel occultanda clauduntur *Matth. 27: 66. Apoc. 5: 5.* vel confirmanda obsignantur, *hîc, itemq. 1. Corinth. 9: 2. 2. Tim. 2: 19.* Unde est verbum σφραγίσειν, *obsignare* ad certitudinem & securitatem *Matth. 27: 66. Ephes. 1: 13. c. 4: 30. 2. Cor. 1: 22.* ad auctoritatem *Joh. 6: 27.* hunc, Christum, pater ἐσφράγισεν, *obsignavit*, veluti sigillo suo apposito, & impresso hara Ætere, illum auctoritate instruxit divina: vel ad occultationem. *Apocal. 10: 4. c. 22, 10.* Deinde obsignatum tradere *Rom. 15: 28.* Denique etiam significat *notare, insignire, Apocal. 7: 3. 4.* Cum itaque Circumcisio hîc dicitur *sigillum iustitiæ*, accipitur pro obsignatâ confirmatione istius iustitiæ, quæ ipsi credenti etiam ante circumcisionem divinitus imputata fuit; ut hoc sigillo divino fides ipsius variis tentationibus postmodum adhuc impetenda & exploranda confirmaretur. Igitur clarum hinc esse arguit Apostolus, circumcisionem nequaquam operatam fuisse iustitiam: quippe quæ post imputatam ipsi iustitiam demum instituta fuerit; sed solummodo corroborasse veluti sigillum divinitus additum, ipsius fidei, quæ jam ante in præputio ad iustitiam ipsi fuit imputata. Eludit efficaciam vocis hujus & sensus Apostolici passim patrocians Pontificiis *Hugo Grotius*, cum circumcisio-

nem

nem *σφραγῖδα*, sigillum, dici vult propterea, quod Abraham imprimens sibi notam circumcisionis, plenam doloris & irrisam apud exteros, eo ipso justitiam, id est sinceritatem fidei suae probaverit; & Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 10. circumcisionem & baptismum dici vult signaculum, quia per Baptismum testemur nos credere. Nam

1. Sigillum apponitur non ab accipiente, sed à dante & promittente; uti erat hinc Deus imputans justitiam, eamque obsignans per circumcisionem.
2. Scopus Apostoli sic aliquatenus perverteretur; qui est, circumcisioni aliisque legis operibus justitiam omnem derogare: at sic tanquam opus eximium allegaretur.
3. Justitia, quæ ipsi imputata dicitur, non rectè dicitur sinceritas fidei ipsius. Neque enim justitia imputatur fidei tam propter ipsius sinceritatem, quam propter Christum, quem amplectitur fides, uti suprâ ostensum fuit.
4. Intentio Apostoli hinc est, exponere usum circumcisionis, videl. quod tanquam sigillum divinum promissionem Dei de gratiosa justitiæ imputatione confirmari; Grotius verò vult, Abrahamum per illam susceptam fidem suam ac sinceritatem demonstrasse.

Cæterum quod hinc de circumcisione dicit Apostolus, illud meritò ad Sacramenta omnia applicatur: videlicet, quod sint illa sacra ac visibilia signa ac sigilla, fæderi gratiæ à Deo addita, ut promissiones Evangelii repræsentent, obsignent & applicent singulis fidelibus; uti ex hoc loco & institutione omnium sacramentorum colligitur. Unde frustra est Stapletonus in Antidot: uti & Anabaptistæ, statuentes, circumcisionem cæteraque Sacramenta solummodo characterem & notam illustrem esse externæ professionis, qua Judæi & Christiani à cæteris Gentibus dignoscantur. Licet enim circumcisio *signum* fuerit fæderis cum Abrahamo initi; & reliqua sacramenta etiam externæ professionis sint notæ; tamen circumcisio & hinc *σφραγῖς*, sigillum dicitur justitiæ fidei, adeoque gratiæ divinæ

& remissionis peccatorum. Ipsa promissionis verba Sacramentis addita idem hoc arguunt, cum verbi gratiâ *Pascha transitus*, hoc est, certa confirmatio ac symbolum transitori Angeli vastatoris; *cum Baptismus lavacrum regenerationis*, h. e. obsignatio regenerationis; *cum panis corpus, vinum sanguis Christi* dicitur, sigillum videlicet & certioratio de corpore & sanguine Christi pro nobis traditis & nobis æque ac cibus & potus, quibus fruimur, per fidelem acceptionem appropriatis, dicuntur. Verùm nobis uberius hæc deducere, hîc non est propositum. Sufficit circumcisionem *σφραγίδα δικαιωσύνης*, sigillum iustitiæ dici. Ergò vi vocis & argumentationis Apostolicæ confirmat & obsignat iustitiam, non ipsa est iustitia: & sic reliqua Sacramenta (cum parium par sit ratio) non sunt aut continent ipsum bonum cœleste, sed ejus solum modo signa ac sigilla sunt, quorum legitimo usa fideles illius redduntur participes in plenam veluti possessionem missi: Nervosè Beza: *quorsum adhibebatur? nempe iustitiæ fidei, quâ in ipsius Christi possessionem mittimur, non simpliciter significanda, sed unâ etiam obsignanda.* Simul enim sunt correlata, ac non idem sunt; proptereaquæ etiam inter dissentanea referuntur. Uti revera realis & quidem multiplex diversitas inter sigilla illa sacra & rem obsignatam seu bonum cœleste unicuique patet ad oculum; stante interim verâ ista analogia ac unionis sacramentali arctissima, vi ordinationis ac promissionis divinæ. Unde aliud esse, aliud significare Sacramenta, dicit Augustinus lib. 3. *contra Arrianum.* Itaque concedimus Fridlibio, *Sacramenta non modo signa esse σημεῖα, significantia; verùm etiam μετὰ δόξαν, seu ἐξοφρομένα, quæ conferunt illa beneficia rectè utentibus: sed non tanquam vasa aut vehicula, res spirituales inclusas complectentia; verùm tanquam arboræ ac sigilla, jus & usum fructum rerum cœlestium obsignantia & verè exhibentia credentibus: uti glebæ aut clavis traditione, possessio agri aut domus verè ac reapse traditur. De fructu &*

etu & jure ad has res, non de loco illarum, hic sermo est. *Finem hujus Oeconomiae divinae porrò adjungit Apostolus; εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας, εἰς τὸ λογιῶσθαι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην.] Ut esset pater omnium credentium in præputio, ut imputetur etiam ipsis justitia. Πατέρα, Patrem credentium vocat, qui stirps veluti & antecessor est, cujus vestigia & exemplum fidei reliqui sequantur: τέκνα τῆς Ἀβραάμ Διὰ τὴν ὁμοίαν πίστιν ὄντες, filii Abrahami existentes, propter similem fidem, dicit Justinus contra Tryphonem; & sic Petrus: ἡς ἐγενήθητε τέκνα ἀγαπῶντες, cujus liberi estis benefacientes, hoc est, si ejus exemplum bene agendo imitemini. δι' ἀκροβυστίας] per præputium, ambiguè vertit Vulgatus. Idem est, quod ἐν ἀκροβυστία in præputio, hoc est, inter gentes. πάντων τῶν ὄντων ἐν ἀκροβυστία καὶ πιστευόντων, ut explicat Scholiastes. Ita particula Διὰ usurpatur supra cap. 2: 27. Hunc igitur ordinem & temporis momenta observavit Deus in justificatione Abrahami, ipsum adhuc existentem in præputio justificans, ut exemplo esset gentibus, non obstare præputium justificationi per fidem; sed æquè illos filios Abrahami esse per fidem, ac Judæos per generationem. *Addit: εἰς τὸ λογιῶσθαι καὶ αὐτοῖς τὴν δικαιοσύνην] ut imputetur & ipsis justitia, hoc est, ut & ipsæ gentes præputiatæ gratuita imputatione justificentur, & ab illa se minimè exclusas existiment: uti sanè suspicari & metuere potuissent, si Abrahamo circumciso demum justitia imputata fuisset: quemadmodum Judæi eximium quid tribuebant circumcisioni, quâ se separatos nôrant à reliquis gentibus. Hanc gloriandi Judæis, metuendi gentibus materiam adimere voluit Deus, cùm Abrahamo ante susceptam circumcisionem per fidem habitam ipsius verbo & promissioni de benedictione in benedicto semine, justitiam imputavit. Idcirco porrò & de Judæis addit Apostolus vers. 12. καὶ πατέρα (subaudi ex vers. præced. εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν) περιτομῆς] ut esset pater circumcisionis, hoc est credentium Judæorum circumcisorum: verùm addit explicatio-**

nem, quos Judæos intelligat: videlicet, τοῖς ἐκ κ' ἰσραὴλ μόνον] qui non ex circumcissione tantum, scilicet Judæi sunt, per carnalem generationem illamque consequentem circumcissionem externam se filios Abrahami reputantes: ἀλλὰ καὶ τοῖς σιχῆσι τοῖς ἔχουσιν τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστία πίστεως τῆ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραὰμ] sed & illis, qui incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio; hoc est, qui simul etiam (hæc vis particulæ καὶ) fidem Abrahami imitantur. Neque enim duo genera Judæorum hic indigitantur, quorum in hac genealogia spiritualiter sit Abraham; sed unum illorum, qui uti carnis, ita & fidei cum ipso communionem & veluti cognationem habent. Hoc igitur vult Apostolus, novam illam παλιάν, seu familiam credentium, quam placuit Deo ex Abrahamo deducere, non modo ex Judæis circumcisis, verum etiam ex gentibus colligendam fuisse: & eum in finem Deum illustrem hunc Ecclesiæ suæ novum ordinem instituens, in ipso jamdum Abrahamo posuisse fundamentum gratiosæ justificationis per fidem & remissionis peccatorum; ad quam neque carnis aut gentis prærogativa, neque ulla operum aut propriæ justitiæ merita quicquam cooperentur; dum videlicet ipsi adhuc præputiato justitiam imputavit, & postea deum circumcissionem, tanquam sigillum gratiosi istius de ipso iudicii & imputationis ipsi injunxit. Egregiè Diodati, quæ latine ita sonant: *Voluit Deus ita dispensare cum Abrahamo res & tempora, ad ostendendum, quod æq; gentes, ac Judæi sint reputati veri filii Abrahami comprehensi in federe, cum ipso & cum progenie ipsius inito, modo sequantur fidem ipsius: sive circumcisi sint, durante tempore, quo circumcisio debebat esse in vigore juxta Dei ordinem; sive non sint, posteaquam Deus in ejus locum ordinavit aliud Sacramentum, quod est Baptismus.* Cæterum dubium adhuc movetur, annon de operibus ceremonialibus, quale erat circumcisio, tantum intelligendus hic Apostolus; aut verò, an legitimè ex negata justificatione] ex circumcissione, rectè ad omnia opera concluda-

cludatur? Ad prius respondetur, Apostolum uti in tota hac Epistola, ita & hoc capite *vers. 2. 4. 6.* loqui de operibus in genere, sive sine Lege à Gentibus, sive sub lege à Judæis, sive ex naturæ viribus, sive ex gratia federis proficiscantur, quatenus illa fidei, quæ gratuitam peccatorum remissionem & justitiam imputatam amplectitur, opponuntur: uti huc manducit scopus totius superioris dissertationis Apostolicæ. Ad alterum respondetur: Paulum *versibus 9. 10. 11. 12.* non argumentari à circumcissione ad reliqua opera moralia, sed expendere subjectum justificationis gratuitæ, quod non sit tantum Judæus circumcisus, sed æque gentes præputiatae; adeoque quod nec circumcisio, nec tota illa œconomia legalis, ad cuius observantiam, postmodum obstringebat circumcisio, quicquam faciat ad justificationem hominis coram Deo. Quamquam & 2. rectè inferri queat à circumcissione Abrahami ad alia opera. Si enim opus tam eximium à Deo ipso *in-*
*jun*ctum, cum dolore & opprobrio aliquo ab ipso susceptum ex obedientia erga Deum, nihil profuit ad justificationem; utique nec alia opera in suis circumstantiis huic minimè æquiparanda, justitiam impetrare queunt.

Corollaria ex Textu.

I.

Apostolus non opera liberi arbitrii solummodo, aut cerimonialia, sed & moralia ex fide profecta, à negotio justificationis removet, vers 2. seqq.

II.

Opera, etiam venatorum ex fide facta, nullam pariunt gloriam, aut meritum apud Deum, vers. 2.

III.

Fidei Abrahami primarium objectum fuit Christus promissus non obstante quod Genes. 15: 5. 6. ejus expressa non fiat mentio.

IV. Adco,

IV.

*Adeoq; Apostolus exemplum ejus haud extra scopum allegat,
& scopo suo accommodat vers. 3.*

V.

*Identitas vocis imputare Psal. 106. 31. identitatem rei non ar-
guit. Ex subjectis enim. judicandum de predicatis.*

VI.

*Deus justificans impium vers. 5. idemq; de se negans Exod. 34:7.
& prohibens Proverb. 17. neutiquam sibi est contrarius.*

VII.

*Fides imputatur ad iustitiam non ut habitus, aut opus Deo pla-
cens; sed ut organum Christi iustitiam amplexum & Deo exhibens,
vers. 5. 9.*

VIII.

Rectè beatitudo collocatur in remissione, peccatorum vers. 7.

IX.

*Et tamen à causa justificationis non excluditur iustitia Christi
activa.*

X.

*Deus non remittit peccata per totalem illorum in nobis extin-
ctionem.*

XI.

*Non imputare peccatum, & imputare iustitiam, seu pro iusto
habere, Paulo in hac doctrina equipollentia sunt.*


XII.

*Sacramenta tam Novi, quam Veteris Testamenti signa & sigil-
la verè obsignantia sunt caelestis gratiae, non vasa, aut vehicula, aut
etiam signa tantum distinctiva, aut illustres notæ fidei; vers. 11.*

XIII.

*Sacramenta sine fide accipientis, quoad effectum proprium, ina-
nes sunt cerimonia. argumento vers. eiusd.*

F I N I S.



In honorem Præstantissimi Ornatissimiq̃
DN, RESPONDENTIS.


Improbis in studiis labor en! quid possit, Amice,
Exemplo monstras id satis ipse tuo.

Te nunquam piguit magnos tentare labores,
Hinc scandis cathedram non sine laude tua.

Gratulor inde Tibi. Cæptis insistere pergas,
Nominis accedet non periturus honos.

Sic festinante calamo gratulabundus ad properabat

Fridericus Benjamin Giegelsberger,
Anhaltinus, S.S. Theol. Studiosus.



Ω μεγάλην, τυφλοῖ, τὴν ὑμετέραν ἀσέβειαν,

τὴν περὶ ἀνθρώπων τῆς τε δικαιοσύνης!

οἵπινες ἀνθρώπων κενεὴν διδραχὴν ἀγαπᾶτε,

καὶ ἀγαπᾶτε λίαν τὴν ἰδίαν δρετὴν.

Ἐξ ἔργων ὑμῶν ζητῶντες τὸν μακαρισμὸν,

σωτῆρ[⊙] Χριστῷ αἰμ' ἀπολειπόμενοι.

οὐχὶ δικαιοσύνην Χριστῷ σωτῆρ[⊙] Ἰησοῦ

τὴν γε λογιθεῖσαν εἶπετε φαντασίαν;

Δυσσεβείας ἔν τὰς διδραχὰς καταρῶμεθα πάντας,


αἷσιν ἐνέργειαν Χριστῷ ἀναιρέετε.

Ταῦτας καὶ ὁρθῶς ἀποβάλλεις, φιλτάτ' ἑταῖρε,

τῆς καὶ ἀληθείας δλόγματα ἀγὰ φιλεῖς.

Συγχαίρων

Johannes Godofredus Starckius, Desslâ An-
haltinus, S.S. Theol. Sr.



Non est argento verus color ullus avaro,

Quod totum semper sordida servat humus.

Non est ingenio claro color aureus ullus,

Cui dulce in latebris delituisse diu.

Argentum at modico nitidum splendet ab usu:

Et saltu ingenii vis generosa viget.

Prædoctam




*Prædoctam fortis dum scandis, Amice, Cathedram,
Est color ingenio candidus ecce tuo.*

*Fac pergas! quondam referes sic nomen avorum,
Splendescetq; color clarius ingenii.*

Ita cognato suo gratulabundus accinebat

Johannes Georgius Schorr, Desslâv.

Anhaltinus.



Quid cæptas? quidnam moliris dulcis amice?

Anne favet cæptis candida Musa tuis.

Candida Musa tuis ausis nihil imperat, olim

Ut cecinit nugis Ethnica turba suis.

Verum, quæ cælos habitat sapientia, tanta

Te coluisse jubet mente manug; piâ.

Tantas res etenim solus, flammantis olympi

Qui super axe sedet, nos docuisse potest.

Ille docet solus, meritis non posse salutem

Acquiri, at solam iustificare fidem.

Euge fide quoniam solâ servamur, aperte

Ut monstras, paucis hanc cecinisse juvat.

Madrigall:

*Was ist der Glaub' ein geistervolles Wesen/
Steig't Himmelsan/ wo Phöbens Silber lach't/
Wo Phosphor mit dem Sternen-Pöbell wach't/
Läß't Irdische was irdisches erlesen/
Sehn't sich nach Himmels-Schätzen/
Nach Schätzen/ die der Feind' und Hellen Knall
Muß unversehrt verschonen überall;
Die nimmermehr der stolzen Werke Schaum
Erreichen kan; die Wellen/ wenn sie kaum
Erhaben sind/ zum Abgrund wieder pressen;
Der Glaub' allein kann uns mit Gott gesellen.*

*Andreas Bernh. Petersohn/
Gerenrodâ Anhalt.*



~~84708~~ K


AB 728 442


ULB Halle 3
007 397 127



VD77







Farbkarte #13

B.I.G.

PHILOGICARUM,

A PAU-
MANOS,

MA:

S AUSPICIO,

SIDIO

fimi,

SHIPSTEDII,

P. & Biblioth. Præce-

n'venerandi,

publicè proponit

BENRAUCH,

ltinus.

co horis, solitis.



236
1/2

NI BRAUERI, ibidem

Typogr. 1664.

